



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 7. iuxta S. Chrysosthomum non omnis qui peccatum suum agnoscit & confitetur, est conversus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

Auxilium Dei orationum perseverantiâ promeretur; propterea & petere præcepit, eisquè sedaturum spondit, nec tamen obiter postulare iussit, sed cum sedulitate multa & magna intentione.

Dixi ex Gregorio hâc sedulitate opus esse peccatori à peccato surgere volenti; *In Ps. 129.* dicit & Chrysothomus: *Vidi sæpè mulieres propter virum peregrinantem & infantem egrotantem ita de profundis orantes, & tantos fontes lachrymarum emittentes, ut tandem voti sui essent compotes: si autem mulieres ita inflammantur in orationibus pro viro & infante: quænam verò venia dabitur, qui pro anima morte affecta mollis est & languidus?*

## §. VII.

*Iuxta S. Chrysothomum non omnis qui peccatum suum agnoscit & confitetur, est conversus.*

**D**ixi ex Gregorio non omnem qui peccatum suum agnoscit & confitetur debitè esse conversum, dicit & *Epist. 5.* Chrysothomus Theodoro lapsò: *Ceterum tu confiteris peccata, teque tui miseret supra modum: scio equidem satis: verùm id non requiro solùm, cupio autem ut te res aliqua iustificet, ut primum te obsequentem præbueris: Et postea; vehementer se damnare profiteriquè*  
pes-

peccatorem commune est, ut sic dixerim, etiam cum infidelibus. Multos a scena tam viros quam mulieres quum turpitudinem suam perpendunt, sui miseret: at non collimant ad verum scopum: ideoquè istud, confessionem, nulla ratione nominarim: quia non est cum animâ compunctione, neque cum amaritudine lachrymarum, neque cum peccatorum abolitione quod ea sic enuntient.

§. VIII.

*Juxta S. Chrysothomum graviorum delictorum pœnitentiæ conjungenda est continentia.*

**D**ixi ex Augustino & Bernardo, graviorum delictorum pœnitentiæ conjungi oportere continentiam; propter quod dixi & ex S. Carolo, sic renuntiandum præteritis, ut simul congruis assumptis remediis satagatur de cavendis futuris; dicit & Chrysothomus eidem Theodoro: Ne igitur perindè peccatum atque accusator traduxeris: sed tanquam qui debet justificari per formam pœnitentiæ, quo pacto animam confitentis assiduâ curâ licebit continere, ne quando ad vitia relabatur: Dixerat & supra: Si uno velut nisu ad summum illud fastigium conscendere juberem, haud injuriâ gravatim tentares propter permixtam rei difficultatem

H

tem